

divinæ essentiæ, ut repræsentativa inferioris creaturæ non debetur illi beato.

XXIV. Instabis : Ergo non provenit ex individuali luminis differentia, quod istæ creaturæ præ aliis videantur. Patet consequentia, quia si illud lumen esset intensius, videretur perfectior creatura, sed augmentum intensiōnis non variat individuationem qualitatis, ergo stante eadem individua qualitate luminis potest videre diversas creaturas, plures vel pauciores. Et confirmatur in habitu scientiæ, nam eadem numero scientia in eodem subjecto existens, potest extendi ad diversas conclusiones sine hoc quod corumpatur, nec dabitur aliquis habitus cognoscitivus, qui ex sola sua differentia individuali petat tot objecta cognoscere, et non possit plura si extendatur vel intendatur, ergo non est cur dicamus solum lumen gloriæ hoc habere ut ex sua individuali differentia petat, istos effectus videre et non alios.

XXV. Respondetur quod individuatō luminis potest considerari dupliciter. Uno modo solum quoad substantiam prout in sententia D. Thomæ et Thomistarum individuatō formarum sumitur ex unitate subjecti. Alio modo quoad statum beatificum, qui immutabiliter petit esse in subjecto ex ipso statu naturæ suæ, licet aliquando in præternaturali statu possit inveniri per modum transeuntis. Si primo consideretur individuale lumen, non exigit ita determinate has creaturas, quin si crescat intensive circa eamdem vel extensive aut intensive circa plures, non possit illas videre. Quod Deus de sua absoluta potentia facere potest augendo illud lumen, et sic procedunt instantiæ adductæ. Si secundo modo individuatō consideretur ex ipso statu immutabili quem habet lumen, et visio, sic cum deter-

minate datur a Deo petit determinatas creaturas videre, ita quod nisi status ille varietur, non poterit videre alias creaturas. Dicitur autem status variari si aliqua mutabilitas in intensiōne vel extensiōne videndi accidat, quia ex natura sua omnimodam petit immutabilitatem, cum sit actus vitæ æternæ. Unde patet ad confirmationem, quia habitus scientiæ in nobis crescunt aut decrescunt pro statu isto, quia status variationis est, et sic ex statu non petunt determinata objecta sicut visio beata, ex substantiali autem individuatione multo minus.

ARTICULUS VI.

Quæ inæqualitas et quomodo invenitur in visionibus beatorum?

Duo hoc articulo inquirenda sunt. Primum, in generali, quid fides sanciat circa inæqualitatem visionum. Secundum, unde proveniat quod inæquales sint, an ex sola diversitate luminis, an etiam ex inæqualitate intellectuum.

QUID FIDES DOCEAT?

I. Sine controversia apud omnes de fide habetur beatitudinem non esse æqualem in omnibus sed diversam juxta cuiusque meritum. Oppositum sensit Jovinianus contra quem errorem agit S. Hieronymus in secundo libro adversus Jovinianum, et de eodem videri potest Augustinus de hæresibus, hæresi LXXXII et lib. de sancta virginitate, cap. XXVI. Eumdem errorem Luthero attribuit Hossius in confessione, cap. LXXXVII; Soto lib. II de natura et gratia, cap. XX et in IV, dist. XLIX, q. III, art. II. Ex dispari tamen fundamento movebatur Jovinianus, et Lutherus. Nam Jovinianus duceba-

tur ex parabola laborantium in vinea, Matth. XX, quibus unica merces, id est, unus tantum denarius diurnus datus est. Unde et illi qui fuerunt priores in laborando murmurabant adversus patrem familias dicentes : *Quia pares illos nobis fecisti.* Lutherus autem ex illo insano errore ducebatur, quia dixit non esse in nobis veram justitiam, sed solum imputationem meritorum Christi, qua, denominamur justi; hæc autem Christi justitia, unica et eadem est pro omnibus. Fuerunt autem alii qui per aliud extremum dixerunt nullos justos fore æquales in beatitudiue, tum quia dicitur de omnibus I ad Corinth. XIV: *Quod stella a stella differt in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum*, nulla autem stella est æqualis alteri. Similiter dicuntur homines in resurrectione æquales fore Angelis, Lucæ XX. Nullus autem Angelus est alteri æqualis, cum specie differant, ergo nec beati.

II. Nihilominus catholice fidei dogma est contra Jovinianum et Lutherum, non omnes beatos esse æquales in beatitudine. Certe res ista licet expresse definita non esset, ita traditiōe ipsa fixa est in Ecclesia catholica, ut hoc pro ejus certitudine sufficiat; constat enim diversum honorem impendere Ecclesiam diversis sanctis. Nam Virginem Beatissimam super omnes Angelos et sanctos veneratur. Apostolos quoque tamquam superiores in beatitudine colit, et sic de quibusdam sanctis præ aliis decernit. Ipsa etiam locutiō Scripturæ id manifeste designat, nam diversitatem majorum, et minorum, et diversitatem graduum in regno cælorum, et in ipsa beatitudine agnoscit, dicitur enim Dan. XII: *Qui docti fuerant fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternita-*

tes. Item Isai. LV: *Dabo eis in domo mea, et in muris meis nomen melius a filiis, et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Ubi aperte loquitur de præmio vitæ æternæ, scilicet quod non peribit, hoc enim non potest verificari de aliqua retributione hujus vitæ. Dicit autem habituros eunuchos (id est, virgines, qui se castraverunt propter regnum cælorum) non melius pro multitudine filiorum, quod competit conjugatis. Quibus duobus locis ex Daniele, et Isaia, correspondent etiam in novo Testamento alia. Nam de claritate stellarum dicitur I ad Corinth. XV: *Stella a stella differt in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum.* Ergo in alia vita non erit par claritas, et gloria in omnibus, sed tanta inæqualitas sicut in claritate stellarum; nec erit in sola claritate corporum differentia, sed etiam animæ, cum illa ex claritate, et gloria animæ proveniat. Similiter de diversitate fructuum, qui correspondent virginibus, conjugatis, et viduis, dicitur in parabola sementis, Matth. XIII: *Fructuum affert aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Juxta quam metaphoram dicitur etiam II Corinth. IX: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, et metet.* Loquuntur autem istæ parabolæ de meritis, et præmiis, ergo in illis ponitur diversitas, et non æqualitas, de quo etiam dicitur I ad Corinth. III: *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem.* Ergo non æqualis erit in omnibus, quia labor æqualis non est, neque virtus. Certe, penas futuras esse inæquales in inferno de fide manifestum est, Luc. XII: *Qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, qui autem non cognoscit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et Apoc.

XVIII: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Ergo similiter, et præmia erunt diversa, quia merita, et opera diversa sunt, plus est enim martyrium ex charitate subire, aut virginitatem perpetuam custodire, quam in conjugio, et sæculo mandata servare. Denique, in Concilio Florentino in litteris unionis dicitur: « Quid juxta meritorum diversitatem unus alio perfectius videt essentiam divinam. » Idem communiter sentiunt patres Hieronymus et Augustinus citatis locis; Hilarius in Psal. XLVI, circa illa verba: *Beatus quem elegisti, et assumpsisti*; Basilus, lib. de resurrectione carnis, cap. LI; Ambrosius, de bono mortis, cap. XII; Gregorius, lib. IV dialog. cap. XXVI; Bernardus, apolog. ad Guillelmum, circa principium et alii communiter. Et ratio allata id convincit, quia datur beatitudo per modum coronæ secundum retributionem justitiæ II ad Timoth. IV: *Reposita est mihi corona justitiæ*, ergo cum opera meritoria æqualia non sint, neque in labore, neque in virtute, seu charitate, neque gloria æqualis erit.

PARABOLA VINÆ EXPONITUR.

III. Ad fundamentum Joviniani communis patrum expositio est nomine unius denarii intelligere unitatem vitæ æternæ ex parte objecti, nisi qui est Deus in quo vitæ æterna habetur, non ex parte modi videndi, quia mansiones, et gradus multi sunt. Ita Augustinus citato loco de sancta virginitate, et serm. LIX de verbis Domini; Chrysostomus in cap. XX Matth. Nazianzenus, orat. XL; Gregorius, hom. XVII in Ezech. D. Thomas 1-2, quæst. V, art. II; Tertullianus, de monogamia, cap. X. Non negat pater Vazquez, disp. XLVII,

cap. III esse communem expositionem patrum. Illam tamen non sequitur, nec in illa quiescit, sed dicit facilius explicari parabolam, si dicamus ex illis operariis, qui laboraverunt in vinea, primos fuisse damnatos: novissimos autem justos, et salvatos, et ita in nomine denarii diurni non significari vitam æternam: tum quia parabola concluditur dicendo: *Quod erunt primi novissimi, et novissimi primi, multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, ergo omnino indicatur primos esse vocatos, sed non electos, novissimos vero solum electos, alias ad quid afferretur hæc conclusio: tum etiam ex murmuratione, qui primi conqueruntur adversus patrem familias; si autem loqueretur parabola de vita æterna danda omnibus, non esset causa justæ murmurationis, vel admirationis, cum enim detur ex æqualitate meritorum, et juxta modum laboris, qui non potuit latere ipsos, qui ab initio laborarunt, non potuerunt etiam conqueri, quod illis daretur tantum beatitudinis, cum etiam tantum de conatu laboris in eis viderint: ergo murmuratio in eo posita videtur, quod illi, qui erant primi in hoc mundo, ut Scribæ et Pharisei, appareant tunc novissimi, et reprobi, et contra dominum conquerentur, quod sua gratia alios elegerit, relictis ipsis, qui tantum laborasse videbantur. Tum denique, quia hac ratione bene intelligitur illud, quod dixit paterfamilias murmuranti operario: *Tolle quod tuum est, et vade*, id est, tolle peccatum, quia hoc tuum est; licet autem mihi de mea gratia sic liberaliter agere cum novissimis. Tibi autem nullam facio injuriam nihil tibi negans de his, in quibus mecum convenisti.

IV. Cæterum hæc interpretatio Vazquez contraria communi expositioni patrum, et cum tanto eju,

fastidio, quanto a Vazquez excipitur illa disputatione, cap. III, omnino a nobis expungenda est, et exauctoranda. Dicimus ergo interpretationem hanc neque congruere cum verbis parabolæ, neque cum fine intento. Non congruit cum verbis. Primo, quia dixit paterfamilias procuratori ut redderet omnibus operariis mercedem, et hæc merces explicatur dicendo, quod novissimi acceperunt singulos denarios, primi autem arbitantes quod plus essent accepturi, acceperunt et ipsi singulos denarios, sed merces reddita novissimis fuit gloria, non supplicium, ergo si et ipsi primi acceperunt singulos denarios, gloriam acceperunt, quomodo enim eadem merces denarii in novissimis est præmium, et in prioribus supplicium? Deinde, responsio patrefamilias ad murmurantem fuit: *Nonne ex denario convenisti mecum?* Sed ille murmurans accepit a patrefamilias illud pro quo convenit cum ipso, ergo non accepit supplicium, sed gloriam. Patet consequentia, quia paterfamilias, quando convenit cum operariis ex denario diurno, non convenit cum illis pro mercede supplicii, sed pro mercede præmii, ergo hoc est redditum illis, quia illud est redditum pro quo fuit conventum, dicente patrefamilias: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade.* Similiter cum dicit: *Volo huic novissimo dare sicut et tibi*, non potest verificari de damnatione primorum, nam novissimo data est gloria, sed datum est illi sicut et primo, ergo primo data est etiam gloria. Denique, si isti murmurabant quia damnati, certe valde modeste murmurabant, imo falso dicebant pares illos nobis fecisti, cum ita impares essent si damnati essent, illi vero electi, et sic non esset murmuratio de paritate in mercede, sed multo asperius mur-

murarent si non solum pares, sed ita se miseros viderent præ novissimis, ut isti in regno, ipsi vero essent in gehenna.

V. Ex fine quoque a parabola intento dissipatur tota hæc interpretatio Vazquez, nam finis ejus est ostendere quod præmium in alia vita magis regulandum est penes gratiæ, et charitatis virtutem, et quantitatem, quam in vi proprii conatus ac laboris, et ita per abundantiam gratiæ possunt aliqui adæquare, aut etiam superare aliquorum laboriosa opera sine tanta gratia facta. Ad hoc autem requiritur, quod omnes illi operarii consequerentur præmium, quia si aliqui essent damnati, alii vero glorificati non posset discerni quomodo in gloria quidam adæquarentur aliis ratione gratiæ abundantioris. Cum autem ista parabola metaphorice loquatur quia parabola est, non sunt applicanda omnia materiali modo, sed prout exigit rerum similitudo et proportio. Dicitur enim denarius unus, non unitate æqualitatis, sed proportionis, nec tanta unitate quanta pecunia denarii una est. Nam hæc non habet nisi unitatem in metallo in quo solvitur, in beatis vero in actu quo attingitur unum objectum quod est Deus: et potest esse unitas in objecto attacto, cum inæqualitate in actu, modoque attingendi. Similiter quod in operariis vinearum est murmuratio, in beatis erit admiratio, et stupor de præstantia divinæ gratiæ, ejusque profunditate, quia ex sola illa plus valoris accipit meritum quam ex temporis diuturnitate, labore, aliisque temporalibus conditionibus. Unde paritas in mercede, de qua quærebantur qui primi vocati sunt, non est paritas omnimoda, sed secundum proportionem, in qua tamen ipsi putabant debere alios excellere. Vel si ista parabola tangit gentiles, et Judæos,

judicatur doluisse Judæos, quod gentiles, qui non laboraverant in cultu unius Dei fuerint sic gratis admissi ad gratiam, et communionem Sacramentorum, et Ecclesiam Dei, et fuisse in hoc parificatos ipsis. Quæ tamen paritas non tollit diversitatem graduum tam in Ecclesia, quam postea in cœlo.

VI. Unde patet ad motiva p. Vazquez. Ad primum dicitur quod illa verba conclusiva totius parabolæ multi sunt vocati pauci vero electi, non ad hoc assumuntur, ut intelligatur solum novissimos fuisse electos, primos vero reprobatos, sed ut intelligatur non esse gloriandum in vocatione sola, quæ est multorum, sed in electione gratiæ, quæ sola dignos facit, licet parvo tempore laboraverint. Unde ex illis verbis, quasi a fortiori infert Christus Dominus, quod si multi sunt vocati, qui tamen non sunt electi, quanto magis erunt aliqui vocati, qui etsi salventur, et videantur majores, tamen minus habeant quam alii electi qui videbantur novissimi, et inferiores. Ad secundum motivum ex murmuratione respondetur illam translative accipi pro admiratione circa mysterium gratiæ Dei, quæ etiam parvo tempore laborantes sic elevat, et exaltat, ut æquare possint magni temporis operarios. Cum vero dicitur non futuram justam causam murmurationis, seu admirationis, dico murmurationis formalis nullam fore, admirationis vero (quæ metaphorice dicitur murmuratio) maximam, propter latentiores causas divinæ gratiæ, quæ virtute sua labores omnes superat, et opera quæ videntur minora in exteriori apparentia supra modum dignificat interiori virtute, et hoc maxime reddit admirabile opus Dei, sicut etiam homines qui longe infirmiores sunt Angelis in operando, possunt ita excellere in gratia, ut etiam

adæquent, vel superent multos illorum. In hoc ergo qui admirationem non sentit, aut stupidus est, aut omniscius. Et quod dicitur non potuisse eos latere, quod illi juxta qualitatem suorum meritorum receperint, atque adeo quod magis meruerint, dico non latere eos hoc in generali, latere vero posse in particulari, non penetrantes vim, et efficaciam interioris gratiæ, quæ sic elevat, et dignificat etiam parum laborantes, et præsertim illos quos ipsi existimabant in hac vita, multo inferioris meriti. Ad tertium vero motivum de illo dicto: *Tolle quod tuum est, et vade*, dicimus non esse sensum: Tolle quod tuum est, id est peccatum, peccatum enim non est retributio sed demeritum, ibi autem dicit quod tollat quod suum est ex parte mercedis, et retributionis, tollere enim jubetur id pro quo fuit pactum, non autem convenit operarius cum paterfamilias pro peccato, sed pro mercede; illa ergo tollenda erat, non peccatum.

VII. Nec obstat, quod responsio paterfamilias: *Volo huic dare, sicut et tibi, et non licet mihi quod volo facere*, indicare videtur ex sola sua voluntate, et non pro æquitate factum esse, sicque non reduci hoc ad distributionem præmiorum, quæ secundum justitiam fit, sed ad gratiæ largitatem. Respondetur tamen, quod paterfamilias duplici via posset illi querelæ respondere, primo ostendendo æquitatem servatam, et ex abundantiori virtute gratiæ, quæ opera magis dignificat, merita illorum plus valuisse. Et hæc ratio erat latentior, et difficilius innotesceret non perpendentibus vim gratiæ. Alio modo omittendo istam disputationem de æqualitate aliorum, vel excessu, et solum ostendendo illi murmuranti, vel admiranti non fieri injuriam, quia nihil ei debitum vel ad eum pertinens negabatur. Et

hoc sufficiebat paterfamilias, ne diu in contentione cum operario suo eoque conductitio hæere videatur. Insuper etiam tacite tetigit radicem ipsam æqualitatis, vel excessus in novissimis operariis, scilicet quod fuerit ex gratia, et hæc tota nascitur ex mera Dei voluntate.

VIII. Ad Jovinianum patet solutio ex dictis. Remota enim expositione Vazquez, dicimus cum sanctis patribus in ipsa unitate denarii significatam unitatem vitæ æternæ ex parte rei fruendæ, quæ est Deus, non ex parte modi fruendi, in quo erit inæqualitas, quod tacite in illa parabola insinuatur, cum dictum fuit procuratori: *Redde illis mercedem incipiens a novissimis*, in eo enim quod dictum est, incipiens, etc. prælatio aliqua, et excessus significatur in eo, quod novissimi facti sunt primi. Et tamen alii sustinuerunt, expectantes si forte ipsi aliquid amplius recepissent, quo compensaretur illa prælatio, et inæqualitas. Cum autem viderunt nihil de hoc tractari, tunc proruperunt in murmurationem, vel admirationem, non solum quod alii tantum receperunt ex parte rei visæ, sed etiam plus ex parte modi. Unde illa paritas non omnimodæ æqualitatis est, sed proportionalis, quæ etiam excessum admittit.

IX. Ad fundamentum Lutheri, non oportet respondere specialiter, constat enim de fide non justificari interna justitia, et renovativa, quæ licet derivetur a justitia Christi, non tamen æquali, et omnimoda participatione ex parte recipientium, licet sit fons unus unde derivetur.

INÆQUALITAS VISIONIS EX SOLO LUMINE DESUMPTA.

X. Circa hanc difficultatem duplex est principalis sententia, licet

THEOLOGIA II.

sint varii modi explicandi quamlibet illarum. Prima docet inæqualitatem visionum, non solum sumi ex inæqualitate luminis gloriæ, sed etiam ex inæqualitate intellectus, ita quod duo intellectus inæquales cum æquali lumine inæqualiter videant. Sic attribuitur Scoto in tertio, dist. XII, quæst. III, et in quarto, dist. L, quæst. VI; Gabrieli in quarto, dist. XLIX, part. II, art. III; Majori ibi quæst. X; Durando in tertio, dist. XIV, quæst. I. Tenet Molina super hanc quæstionem artic. VI, disp. II. Et Cajetanus III part. quæst. X, art. IV ad II, expresse affirmat, quod si Verbum divinum assumpsisset naturam angelicam cum lumine, quod nunc habet in humana natura, perfectius videret Deum quam nunc videt.

XI. Et fundamentum hujus sententiæ fere totum resumitur in hoc quod intellectus activitate sua, etiam conatur, et influit in visionem, licet supposita elevatione, sive intellectus dicendus sit causa partialis, sive instrumentalis vel alio quocumque modo. Quando autem duplex causa concurrat ad aliquem actum sua activitate, ex quacumque parte crescat activitas, crescit et perfectio actus.

XII. Cæterum non omnes eodem modo explicant hanc sententiam. Nam quidam absolute illam docent, intelligendo quod ex majori activitate intellectus crescit etiam perfectio visionis in ipsa intensione, aut charitate, seu majori perfectione videndi Deum in se, quia activitas intellectus supposita elevatione, etiam in ipsam substantiam visionis influit. Alii vero quia sentiunt magnum inconveniens in hoc, quod aliqua major intensio, vel claritas visionis crescat, et detur solo intuitu majoris activitatis nativæ, seu ordinis naturalis, affirmant ex perfectiori intellectu naturali non sumi